Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johann Fecht Johann Friedrich Fabricius

Disputatio De Dissensu Doctrinae, Inter Lutheranos Et Pontificios In Articulo De Missa, Jac. Ben. Bossueto Opposita

Rostochii: Richelius, 1698

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn886135591

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn886135591/phys_0001

R. U. - Theol 1698 Fecht, Johann

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn886135591/phys_0002

DISPUTATIO
DE
DISSENSU
DOCTRINÆ,
INTER
LUTHERANOS ET PONTIFICIOS IN ARTICULO DE
MISSA,
JAC. BEN. BOSSUETO OPPOSITA,

PRÆSIDE

JOANNE FECHTIO,
D. ET P. P. CONS. DUC. ADS. ET DIST. ROST. SUP.

Ad placidam collationem exposita
Ad. d. 10. Decembr. 1698.

à

JOANNE FRIDERICO FABRICIO,
SEDINENSI.

ROSTOCHII,
Typis JACOBI RICHELII, Ampliss. Senat. Typogr.

1698

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn886135591/phys_0003

Universitäts-
Bibliothek
Rostock

Universitäts
Bibliothek
Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn886135591/phys_0004

PROPOSITIO.

Constituto controversiæ statu docetur, mitigationem sententiæ Pontificiæ de Missatico Sacrificio, ejusq; cum Lutheranâ doctrinâ conciliationem, ab Episcopo Meldensi propositam, neqve novam esse, neqve valido fundamento inniti.

I.

Disputandi cum adversariis in Theologiâ duplex ratio est; prior Polemica dici potest, qvâ opinionum verè contrariarum falsitas justis argumentis impugnatur & inter utramqve partem id, qvod verum est, inqviritur. Tales Polemici sunt inter Romanos Bellarminus, ipso nomine bella spirans & arma, Becanus, Tannerus; inter Reformatos Beza, Chamierus, Wendelinus. Posterior pacificatoria & Irenica audit, qvâ non veritas sententiarum & falsitas, sed momentum tantum indagatur controversiarum. Huic Theologiæ qvi dediti sunt, qvod inter Calvinianos pleriq; faciunt, inter Pontificios pauciores, inter Lutheranos pauciſſimi, id annituntur probare, partem utramqve non tanto inter se spatio distare, qvemadmodum primore intuitu videantur, sed si res æqvo judicio ponderetur, in verbis frequentius qvam in rebus diversitatem esse, Theologos, vel declamatores pro suggestu, vel disputatores pro cathedrâ, rixando litem ex qvolibet vocabulo serere, omnia præter meritum exaggerare, remotis ambiguitatibus & calumniis in plerisqve conveniri.

II. Qvamqvam verò inter Pontificios fuerint subinde & Calvinianos, qvi conciliare nostram ipsorumq; religionem vel ex toto vel ex parte annisi sunt, non tamen æqvaliter de utrorumqve studio judicandum est. Nam I. exempla sunt, ubi Lutherani & Reformati ipso facto, (jure an injuriâ, nunc non disputo) conciliati sunt & conjuncti, velut in Synodo Charentonensi in Galliâ & in Congressu Cassellano in Germaniâ. De Pontificiis & Lutheranis idem dici non potest. II. Qvodam Lutheranorum & Reformatorum consensu coalitio Ecclesiæ Lutheranæ cum Pontificiâ difficilior est, qvam cum Calvinianâ. Prostat *Josephi Halli* Roma irreconciliabilis, aliorumqve editæ passim confessiones. Ipse *D. Georg. Calixtus*, qvamqvam docuerit, utramqve Ecclesiam in fundamento fidei, Apostolorum Symbolo juxta ipsum comprehenso, convenire, tamen reconciliationem frustra expectari asseruit, qvousq; Tridentina fulmina perdurent & errores atqve abusus practici in Rom. Ecclesiâ è medio non tollantur. Videatur Responsum, Landgravio Ernesto datum.

III. Et ratio in promptu est. Nam Lutherani & Calviniani à Pacificatoribus conciliantur tantum per hoc, qvod primò docetur, in plerisqve esse verborum, non rerum, pugnam. Deinde qvum in paucis dissentiatur, dissensum tanti ponderis non esse, ut fundamentum convellat & ideò Ecclesias jure disjungat. Atqve ideò Syncretistæ Lutherani & Calviniani utramqve Ecclesiam, Lutheranam & Calvinianam, manente mutuo dissensu & pugnâ, uniunt. At Syncretistæ Pontificii docent qvidem pariter, in multis dissensum non esse, modo una pars alteram rectè velit intelligere; in cæteris qvoqve rem non esse tanti momenti, qvanti eundem faciant declamatores Lutherani. Verum eo ipso non jungere Ecclesias intendunt manente pugnâ, sed hoc tantum agunt, ut Lutherani, duabus istis rationibus convicti, ad Ecclesiam Pontificiam eò promptius redeant, nec erro-

errores tantillos, qvos eandem fovere adhuc sint persvasi, à necessariâ cum Ecclesia matre unione se patiantur amplius abstrahi, cum atrocius non sit peccatum qvam schisma. Ita pleriqve Pacificatores Pontificii. Solus *Marc. Ant. de Dominis* docet, posse aliqvem in Ecclesiâ Catholicâ manere & simulare ipsorum doctrinam pariter ritusqve, in essentialibus fidei à veriori religione diversos, modo intentione sit in veriori. (a.) Et *Comes Rocca de Spinola*, Episcopus Tinensis, Primas Croatiæ, qvi ante duodecennium ad promovendam recuperandamqve inter Ecclesias Lutheranam & Pontificiam concordiam præcipuas Germaniæ aulas oberrabat, Pontificis nomine obtulit, ut ajunt, comunionem, manentibus opinionibus Lutheranis, dummodo primò Pontificem Romanum pro qvalicunqve capite & Directore Ecclesiæ externo agnosceremus & deinceps Concilio, qvale æqvo numero ex Lutheranis & Pontificiis coire deberet, plenam pacem atqve concordiam reducturo, nos subjiceremus. (b.)

IV. Qvemadmodum igitur Calviniani pacificatores argumentantur: in plerisqve inter nos & Lutheranos nullus est dissensus, nisi verbalis, in cæteris, ubi dissensus realis est, is non est magni momenti: ergo possumus nos invicem tolerare & Ecclesiæ nostræ non obstante dissensu

(a.) Videatur hæc ejus sententia accuratè examinata à *D. Jo. Musæo*, Disp. II. de Dist. inter Eccl. Univ. & Part. Part. alt. §. CLXXXIX. seqq. Itemqve ab *H. Conringio*, Præf. ad Cass. & Wic. p. 117. s.

(b.) Amplissimam de hoc conatu spem conceperant Theologi qvidam Lutherani, (qvorum Methodum reducendæ unionis producit & examinat *Pufendorf.* in Fec. p. 47. s.) Nec minus *D. Fr. Ulr. Calixtus*, ceu ex scriptis ab ipso Epistolis docetur ab auctore de Nouvelles de la Rep. des Lettres, Mois d' Avril, 1684. p. 187. s. Ubi & judicium repræsentatur Illustris nostri *Wagenseilii* & simul considerationes Theologi Anonymi de toto hoc negotio planè exactæ & eruditæ. Meretur & legi κρίσις celeberrimi nostri *Rechenbergii*, in Summ. p. 728.

coalescere : ita è contra Pontificii argumentantur : inter nos & Lutheranos in plerisqve non est tantus dissensus, qvemadmodum hactenus existimatum fuit, & in iis, ubi est verus dissensus, ipsorum Lutheranorum qvorundam confessione is non est fundamentalis : ergo vos Lutherani ad nostram Pontificiam, solam in omnibus veram & antiqvam Ecclesiam, rejectis erroribus vestris, debetis accedere, neqve tantas amplius, ut antea opinati fuistis, habetis causas, à religione nostrâ abhorrendi.

V. Fatendum tamen est, inter ipsos pacificatores Pontificios, alios aliis majori fide & integritate pacem & concordiam cum Lutheranis qvæsiviisse. Nam *Georg. Cassander* & *Georg. Wicelius* qvædam Lutheranis ingenuè concesserunt, inqve Pontificiis & multa desiderarunt & rigorem erga nostros reprehenderunt ; & sic animo longè meliore causam hanc egerunt, qvam hodierni & alii antiqviores. Sed ideò etiam ab aliis Pontificiis pro Apostaticis & Semi-Lutheranis, non pro veris & genuinis Catholicis, habentur & traducuntur. (c.) Qvod verò de Jacobo Masenio, Thomâ Henrici, Jac. Ben. Bossueto, aliisqve, conciliationem inter nos illosqve qværentibus, nunqvam dixerint, cum non obstante pacificationis studio, Catholici cæteris manserint acerrimi. Videndus hac de re *Vitus Erbermannus*, Jesuita, in Irenici Catholici Partis prioris capite secundo.

VI. Inter Pontificios, qvi conciliationibus operam impenderent, plurimi semper fuerunt. Præcipui post illos, qvi Augustæ statim post exhibitam Confessionem hunc in finem,

(c.) Jesuitæ Moguntini, Anim. in AntiBec. Crocii, Contr. XIIX. Sect. III. *Cassander intemperantius in res fidei & Theologicas se ingessit & infelici qvadam illorum temporum intemperie & novitatis prurigine ita philosophatus est, ut antiqvos doctores cum novatoribus, Ecclesiam veterem cum recente errorum Synagogâ, perfidiam cum fide, hæresin cum orthodoxiâ, conciliare, componere, confundere & commiscere se posse crederet.* Vid. Conring. in Cass. p. 251. s.

finem, & post undecennium Ratisbonæ, cum nostris congressi fuerunt, eminebant Erasm. Roterodamus, Auctores libri Interim, & post duos Georgios Cassandrum & Wicelium, Marcus Antonius de Dominis. Secuti sunt superioribus annis Thomas Heinrici, Augustinus Gibbon, Ernestus, Hassiæ Landgravius, Henr. Marcellius, Jacobus Masenius, Adolph. Godofr. Volusius. Nec plurimi passim alii defuerunt, qvorum scripta in titulo pacem concordiamqve prætulerunt, qvæ tamen eò unicè collimarunt, ut Ecclesiæ Romanæ dogmata firmarent potius, qvam nobiscum conciliarent, pacem se facere causati, ut pacem hostis facit, qvi sub jugum devictos mittit. Nec enim sub illecebroso qvantumlibet pacis nomine vel in puncto ab inveteratis opinionibus recedere in animo habuerunt, nec etiam cedere stante Concilii Tridentini auctoritate potuerunt. Idipsum non fatente tantum, sed etiam adversus *D. G. Calixtum* ebuccinante in ipso Irenico *Vito Erbermanno*. Qvo magis mirari conveniat, fuisse ex Reformatis pariter nostrisqve, qvi aures his Sirenibus adverterent, horumqve seqvestrorum seqverentur fidem. Ex illorum partibus *H. Grotius* fuerat, qvo nomine qvidem in alio eruditionis genere nihil majus, nihil augustius fuit, sed in religione nihil magis varium atq; ambiguum. (d.) Cum qvo hoc in argumento adeò fusè eruditeqvè contendit *A. Rivetus*, nihil ut eâ in re desiderari amplius qveat. Eò & referendus *Theoph. Brachetus Milleterius*, Gallus, cui obviam ivere summi viri, Dallæus, Rivetus, Amyraldus, Blondellus. (*) Et *Guil. Forbesius*, primus Edimburgensis Episcopus, cujus Considerationes, ut vocat, pacificæ, ad majorem speciem, qvam

(d.) Vide post plurimos alios *J. Rolegmvium*, de Concil. Rel. p. 95. s. & *D. J. A. Osiandrum*, Proleg. Ann. in Grot. de J. B. & P. p. 1. s. Itemqve Henr. Valesium, Oratione in Obitum Petavii, qvæ præmissa est Tom. II. Opp. Epiphan. & inprimis Simp. Verinum, h. e. Salmasium, Epist. ad Just. Pacium. p. 1. s. (*) Vid. *J. T. Major*, Diss. de Or. Pro Def. §. 3. & 4. & Rolegrav. l. a. p. 99. s.

qvodvis aliud in hoc genere Scriptum, compositæ sunt, de qvo celeberrimum *Claudium* scribere *Jo. Rolegravius* auctor est: *Forbesius ille, sub Episcopi Protestantis specie communionem utramq; decipiebat, blandâ ac fallaci spe deludens Romano-Catholicos, nihilominus tamen apud alios remanens.* Iisdem Reformatis annumerandus citra dubium est *Andreas Fricius Modrevius*, Polonus, cujus scripta pleraq; Basileæ, *Drautio* teste, edita sunt. Qvamqvam Lutheranis accenseat in Bibliothecâ Universali *Königius*; Pontificiis, Prælectionibus in Formulam Concordiæ *D. Hülsemannus*; (e.) Anti-Trinitariis in Bibliothecâ *Christoph. Sandius*, qvi & catalogum librorum ejus, eorumqve fata repræsentat. *G. Cassander* Protestantium partis studiosiorem, tamen concordiæ & moderationis amantissimum appellat. (f.) Laxæ, ut apparet, religionis homo fuit, nulli parti addictus. E nostris verò partibus unus ferè conciliationi Ecclesiæ nostræ cum Romano-Catholicâ studuisse *D. G. Calixtus* deprehenditur, rejectus ideò à plerisqve aliis Theologis, præcipuè Hülsemanno, Dannhavvero, Haberkornio, Calovio. Nam qvod ante haud ita multos annos *Matthæus* qvidam *Prætorius*, eandem *Tubam* inflaverit, ex eodem ipso fonte profluxit, è qvo hanc aqvam hauserant Theologi tum Regiomontani, *Christianus Dreierus*, *Melchior Zeidlerus*, (qvamqvam hic publico scripto dissensum suum fuerit contestatus) *Samuel Wernerus*, & *Johannes Philippus Pfeifferus*, *à Prætorio* in testimonium advocati. (g.) De eo meritò diceres, qvod de Grotio Salmasius: *Hoc conciliandi studium, qvale sibi esse præ se fert, non potest hominis esse, nisi jam Pontificii, aut jamjam futuri.* (h.) Qvod & eventus comprobavit. Hunc Tubicinem, qvem nec ipsa usqveqvaqve approbaverit Roma,

(e.) Art. XV. §. L. p. 800.

(f.) Art. IV. Conf. p. 27. Cupidè hoc arripit *G. Forbes.* Conf. Pac. p. 27. Et *Frid. Gesenius*, in Iren. Phil. p. 103.

(g.) Epist. ad Innoc. XI. & alibi passim.

(h.) Epist. ad J. Pacium p. 12.

ma, *D. Sam. Schelgvigius*, Theologus celeberrimus, confudit & redegit ad silentium. (i.)

VII. Non videbatur tamen inter omnes illos, qvi unqvam conciliationibus studuerunt, qvisqvam hanc rem vel majore cum eruditione & prudentiâ, vel successu magis optato atqve felici, egisse, qvam JACOBUS BENIGNUS BOSSUETUS, Præceptor primum Delphini, deinde Episc. Condomensis, mox Meldensis. Prodiit libellus anno MDCLXXI. titulo: *Exposition de la Doctrine de l' Eglise Catholique sur les matieres de controverse*; id est, interprete anno MDCLXXX. *Claudio Flevrio*, Presbytero Parisiensi: *Doctrina Catholica de iis argumentis, de qvibus controversiæ sunt, Expositio.* Primum nudus, nec nisi cum commendatione duorum Archiepiscoporum, duorumqve Episcoporum Gallicanorum, mox cum de approbatione curiæ Rom. dubitaretur, accessere laudationes aliqvot Cardinalium, virorumqve Romæ celebrium, postremò ipsius Pontificis, Innocentii XI. Non poterat non omnium in se oculos convertere exiguus mole libellus, ipsâ summâ, qvam præferebat, moderatione & dicendi jucunditate mirificè adblandiens. Refutatus qvum ab anonymo qvodam & *Dav. Nogviero*, (k.) fuisset, iisdem paulò post *Avertissement*, sive *Monitum* opposuit *Bossuetus*. Eundem cum postea exactissimo libro aggressus esset *Petr. Jurius*, (l.) eidem se opposuit & *Dav. Augusti. Brueysius*, Advoca-

(i.) Vanis illius consiliis jam a. MDCLXXXVI. larvam detraxi & ego, Sereniſſimo jussu, in dem kurtzen Bedencken / suppresso nomine meo ab amico edito. Vid. & Nouell de la Rep des L. Mois Dec. 1688. Ubi non immeritò judicat auctor, facilius esse, qvadraturam circuli inveniri, qvam uniri Ecclesiam Romanam cum Lutheranâ.

(k.) A Orange, chez Ed. Rabaan, MDCLXXIII.

(l.) *Preservatif contre le changement de religion:* qvem ob fructum inde sperandum in lingvam Germanicam convertit clarissimi nominis Vir & de solidiore literaturâ optimè meritus, *Michel Bekius*, Ecclesiastes & Professor Ulmanus.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn886135591/phys_0011

vocatus Montispessulanus, (qvi paulò ante & *Bossueti* Expositionem oppugnaverat, postea ad Romanæ Ecclesiæ societatem à *Bossveto* adductus) & celebris ille Jansenii sectator, *Antonius Arnaldus*. (m.) Utriqve respondit *Jurius*. (n.) Sed & alium è Gallis adversarium nactus est *Bossvetus*, verum sine nomine incedentem. (o.) E Belgis *Fridericum Spanhemium* F. virum jamdiu in orbe notum, qvi *specimen Strictrarum*; ex Anglis Stillingfletum & ex Germanis, nostræqve Ecclesiæ addictis inclytum variis pro veritate scriptis *Danielem Severinum Sculletum*, qvi Antididagma contra *Bossvetum* evulgavit.

IIX. Inter hæc immanes Reformatorum in Galliâ persecutiones ortæ sunt & pax omnis oblivioni data; ipse *Bossvetus*, moderationis hactenus laude florentissimus, mutavit scriptorum indolem & edito *de variationibus Ecclesiarum Protestantium* libro haud parum attulisse ad sangvinarias illas Hugonottarum conversiones à plurimis judicatus fuit. Tamen eadem *Bossveti* consilia ante hoc duodecennium Argentorati à Societatis JEsu Theologis reducta efflоruerunt, faxit misericordissimum Numen, ne simili, qvod nec tum dissimulare potuerunt, vel omine vel eventu! Initium factum est ab Articulis Unionis præcipuis, numero XXX. anno MDCLXXXV. editis. Qvi tamen idem cum Bossuetianâ Expositione fatum non habuerunt, qvippe à Pontifice R. censurâ, variis in locis ad primaria templa affixâ, notati atqve proscripti, non obstante, qvod nihil continerent aliud, nisi qvod antea à *Bossveto* pariter fuisset assertum. Nec enim insolens sedi Papali esse, modo approbare sub spe cujusdam utilitatis doctrinas, modo rejicere, *P. Jurius* tot exemplis, è Gallicis inprimis controversiis desumptis,

(m.) Reflexion sur un livre, intitulé: Preservatiy.

(n.) Duob. libris; uno: *Le Janseniste convaincu*; altero: *Suite du Preservatiy*. Utriusqve summam exhibent Lipsienses a. 1684. p. 176. & 448.

(o.) Qvi scripsit *Reflexions sur le livre de Meaux*. Cujus argumentum excerpsit Bailius, mense Septembri, a. 1687.

sumptis, Arnaldo comprobavit, ut nec dubium amplius ullum supereſſe poſſit. *C'eſt qve nous ſçavons*, inqvit, *qve dans cette cour on ne fait rien par amour pour la verité & avec des intentions ſinceres. Tout s'y fait par des vuës d'intereſt, par cabale, par intrigue & par une politiqve purement humaine.* (p.) Qvare & cum Articuli illi in ſuperiore Germaniâ, ſuppreſſis tamen auctorum nominibus paſſim obelo configerentur, nihil unqvam, qvantum mihi conſtat, regeſtum fuit, ſepultâ ſubitò omni eorum memoriâ. Succeſſit autem inſtitutum aliud, à priori tamen parum diverſum, cui nomen ſuum commodavit Jeſuita, Argentorati, qvàm advenerat, eruditior factus, *Jo. Dezius*. Gallicâ primum, anno MDCLXXXVII. mox & Germanicâ Lingvâ, anno MDCLXXXIIX., Tractatum edidit *de Reunione Proteſtantium Argentoratenſium cum Eccleſiâ Romanâ ad eorum ſalutem neceſſariâ & ſecundum ipſorum principia facili.* Cumqve ab Anonymo in Saxoniâ & in Homiliis Eccleſiaſticis ab *Iſaaco Fauſtio*, viro de adflictâ Argentorati religione præclarè merito, ſummatim ille examinatus fuiſſet, in ſecundâ editione Gallicâ, anno MDCLXXXIX. apologeticam eidem præfationem præfixit, munitam qvorundam magnorum in Eccleſiâ Romanâ, inprimis ipſius celeberrimi Epiſcopi Meldenſis, cujus doctrinæ characterem exprimit, virorum ſuffragiis. Qvamqvam verò in Saxoniâ ab ELECTORE ſummæ eruditionis viro, *D. Mich. Walthero*, jam ante qvinqvennium rebus humanis exempto, aliisqve alibi, ut hunc librum integrum refutarent, provincia demandata fuerit, neſcio tamen, qvo ſit fato factum, ut publicæ ſpei fructu ad hunc usqve diem deſtituamur, conſolariqve interea nos debeamus duplici ſcripto, ſummatim unionis illius defectus oſtendente, qvæ Eccleſiæ noſtræ dedit par virorum, non meritis minus in Theologiam noſtram qvam ſolidâ eruditione excellentium; *D. Georg. Henr. Haberlinus* & *D. Valent. Alberti*, qvod utrumqve hactenus manſit inconcuſſum.

(p.) Le Janſen A. VI, p. 20. ſ. Videatur *Pufend.* Fec. p. 44. ſ.

IX. Sufficere eqvidem poterant, qvæ à tot viris, tantâqve doctrinâ eminentibus, adversus *Bossvetum Deziumqve* dicta fuerunt; nobis tamen, qvi unam hactenus Missatici sacrificii particulam paulò curatius considerare instituimus, licebit in hoc Pontificiæ religionis articulo duorum istorum, eorundemq; in Rom. Ecclesiâ clarissimorum virorum occupatum circa conciliationem hujus doctrinæ studium, paulò accuratiori, qvam hactenus factum est, examine intueri, saltem ut hoc argumentum Theologiæ nostræ consecraneis cognitum magis reddatur atqve perspectum.

X. Atqve ut à doctrinæ ipsius, inter partes controversæ, propositione initium faciamus, noverat Bossuetus, oppositas sibi è diametro esse Pontificiorum & Lutheranorum in hoc de Missâ articulo sententias. Illam qvidem disertis verbis ipse exprimit: *nihil deesse Missæ, qvo minus verè sit sacrificium.* (q.) Nempe planè ad mentem Concilii Tridentini, qvod Missam constituit *verum & proprium sacrificium*; idqve ex instituto Christi, in extremâ cœnâ hoc sacrificium instituentis & ordinantis. (r.) Lutheranorum opposita doctrina est: Missa seu Eucharistia non est sacrificium veri nominis, ex instituto Christi in Eucharistiâ offerendum. Memoriâ hic dignum est, qvod notat *Jac. Basnagius* in Historiâ de Religione Ecclesiarum Reformatarum, nempe in primâ Expositionis editione scripsisse Episcopum: *Missam* (raisonnablement) *probabili ratione nominari posse sacrificium.* Qvo pacto id utiqve dixisset, qvod à Protestantibus poterat admitti, qvippe qvi non refugiunt, ceu postea dicemus, certâ cum limitatione, certasqve ob causas sacrificii appellatione Eucharistiam insignire. Sed monitus citra dubium ab Amicis Romanis, unde censura petenda fuerat, qvod indulgentiâ isthac à receptâ ubivis terrarum Concilii Tridentini doctrinâ recedere & plus æqvo largiri Protestantibus videretur, ni rigorosiorem illam, qvæ Roma-

(q.) c. XIV. Expos. p. m. 146. (r.) Sess. XXII. can. I. & II.

Romanæ Ecclesiæ sensum magis ingenuè referret, seqveretur, sententiam mutavit: rien ne luy manqve pour estre un veritable sacrifice: *nihil illi deest, qvò minus sit verè sacrificium.*

XI. Ut paulò clarius utriusqve partis sententiam & sententiarum discrimen ob oculos ponamus, Lutherani de toto Eucharistiæ negotio ita sentiunt: instituisse Servatorem nostrum ultimam cœnam ita, ut consecrato pane & vino, sub his Symbolis separatim ejus corpus & sangvinem accipere possemus. Nec aliam fuisse distinctæ hujus consecrationis qvam distinctam distributionem causam. Non venisse in mentem Christo, ut separatâ hac consecratione ipsam corporis & sangvinis separationem, inqve eâ mortis qvandam imaginem, oculis objicere vellet. Ut adeò ne imaginarium qvidem, nedum verum & proprié dictum hac cereminiâ & actu voluerit ullo modo insinuare sacrificium. Testari totam institutionis historiam, disponere Christum actionem qvampiam voluisse, qvâ fidelibus suis aliqvid, nempe corpus & sangvinem suum, in peccatorum remissionem & testimonium amoris sui offerret atq; communicaret, non verò instituisse ritum aliqvem, qvo nos ex pane & sangvine corpus & sangvinem suum efficeremus, effectumqve tanqvam sacrificium DEO offerremus, oblatum verò demum ederemus & biberemus. Deniqve ut hoc corporis sui & sangvinis sacramentum, nobis oblatum, non ederemus tantum & biberemus, sed cum fructu etiam actuali, remissionis nempe peccatorum & confirmationis gratiæ & amoris sui, ederemus & biberemus, voluisse Christum, ut in hoc actu mortem ipsius, qvâ corpus suum pro nobis tradidit & sangvinem suum effudit, cõmemoraremus, beneficia nempe, morte hac parta, magni æstimandò, summâ fiduciâ acceptando, sanctâ devotione meditando & gratum erga illa animum veris pietatis operibus demonstrando. Qvod officium nostrum, DEO in sacramento præstitum, sacrificium, Scripturæ usu, non proprium, sed metapho-

ricum, non à sacerdote solo, sed præcipuè à communicantibus DEO oblatum, non ad essentiam ipsius Sacramenti, sed ad salutarem ejus usum pertinens, meritò appelletur, atq; inde etiam totum Sacramentum sacrificii nomine antiqvæ Ecclesiæ venerit. Eo nempe modo, qvo tota essentia sacrosancti Baptismi prævia consecratione hominem adultum tingendo in nomine SS. Trinitatis absolvatur, ut tamen eo ipso in actu homo baptizatus, si vero Baptismi fructu particeps fieri velit, sese totum, h. e. animam & corpus & omnes affectus suos DEO per fidem sacrificare & offerre debeat. Hæc est sententia Lutherana, simplici verborum institutionis literæ innixa, ex qvâ eandem qvilibet, ipsâ lectione & primo intuitu haurit, nec aliam qvamcunqve, nisi præoccupata sit mens, ex eadem haurire potest. Romanæ Ecclesiæ sententia è contra hæc est: Evchariſtiam, à Christo institutam, duplici actu constare, sacrificio & sacramento. Primò enim consecrasse Christum separatim panem, ex qvo corpus suum per substantialem transmutationem, & separatim vinum, ex qvo sangvis ipsius fieret. Fuisse autem Christi intentionem, ut separatâ hac corporis & sangvinis sui in altari positione mors Christi, qvæ nihil aliud sit, qvam separatio sangvinis à corpore humano, tanqvam in imagine qvadam & mysterio, repræsentaretur. Ubi enim separatur à corpore sangvis, ibi moritur animal. Atqve ita Christum sub hac mortis imagine in altari apparentem, ex eadem Christi instituentis intentione, DEO Patri, tanqvam verum proprieqve dictum sacrificium, idqve propitiatorium pro peccatis vivorum & mortuorum, offerendum esse, non à populo adstante, sed à solo sacerdote, qvi ab hoc sacro seu sacrificio propriè dicatur sacerdos. Tum vero demum peracto hoc sacrificio, de hoc sacrificio, DEO oblato, sacramentum corporis & sangvinis Dominici inter sacræ Evchariſtiæ hospites distribuendum, ab iisqve summâ cum devotione accipiendum esse. Atqve

hæc

hæc est sententia Romanæ Ecclesiæ, ex mente *Bossueti*, adstipulante Papâ & Clero præcipuo, exposita; qvamqvam alii formalem hujus sacrificii rationem aliter describant.

XII. Sunt igitur duæ hæ sententiæ ἀκ ἀλλὰ πασῶν oppositæ: Eucharistia est verum, proprieqvè dictum sacrificium. Eucharistia non est verum proprieqvè dictum sacrificium. In Evcharistia ex primâ Christi intentione per separatum mysticâ consecratione corpus & sangvinem Christi vivâ & efficaci expressione mors Christi repræsentatur. In Eucharistiâ ex primâ Christi intentione actione illâ nihil minus qvam hoc repræsentatur, sed separata consecratio fit tantum ad promovendam separatam distributionem. In Evcharistiâ Christus, in imagine illâ mortuus, DEO pro peccatis vivorum atqve mortuorum à solo sacerdote est offerendus. In Evcharistiâ Christus in imagine illâ à solo sacerdote non est offerendus, potest tamen Christus debetqve fideli mentis devotione mortis ipsius beneficia commemorando, ad usum Evcharistiæ salutarem reddendum, non à solo sacerdote, sed ab omni, communione Evcharistiæ utente, DEO offerri; qvod est sacrificium impropriè dictum, non ad essentiam Evcharistici actus, sed ad finem ejus externum spectans. Ecce qvanta, qvamqve evidens sententiarum pugna, qvanta dissensio! Videndum igitur nunc, est, qvomodo ex mente *Bossueti* opiniones tantopere sibi adversæ vel conciliari & ad unitatem redigi, vel mitigari saltem pugna possit & leniri?

XIII. Id præstare Episcopus adlaborat, partim sententiam Romanæ Ecclesiæ per ejusdem moderatam declarationem emolliendo, partim ad objectam huic doctrinæ asperitatem respondendo. In utroq; ipsa viri verba presso pede seqventes, judicium de iis nostrum aperiemus. Romanæ verò Ecclesiæ doctrinam de sacrificio Missæ hunc in modum exponit: *Duos in hoc mysterio observamus actus, nihilo distinctos minus, qvod ad invicem referantur. Alterum*

consecrationem, qvâ panis & vinum in corpus & sangvinem mutantur, alterum manducationem, qvâ participantur. In consecratione mysticè separantur corpus & sangvis, qvod Christus seorsim dixerit: hoc est corpus meum, hic est sangvis meus: qvibus verbis violentæ ab ipso toleratæ mortis viva & efficax expressio continetur. Horum itaqve vi verborum, signis, mortem ipsius exhibentibus, indutus Christus, in sacrâ mensâ collocatur. Id nempe efficit consecratio; qvi religiosus actus ejus, qvæ in DEO est, in omnem creaturam ac speciatim in humanum genus summæ atqve infinitæ potestatis professionem importat; cum in eo præsens Christus suæ ad crucis usqve mortem obedientiæ memoriam innovet qvodammodo, reddatq; perpetuam: nihil ut illi desit, qvo minus verè sit sacrificium.

XIV. Scilicet id agit Bossuetus, ut sacrificium istud incruentum, qvod in Eucharistiâ peragi Romana Ecclesia credit, qvam mollissimè atqve ita, ne cujusqvam hominis Christiani animum se judice offendere possit, describat. Nec enim illam aliud in Missâ credere sacrificium profitetur, qvam qvo Christus per consecrationem adductus, in altari sub imagine violentæ mortis, separato à corpore sangvine, sistatur, eaqve repræsentatione crucis Christi memoria renovetur. Qvod cum nec Lutherani scilicet diffiteri possint, nihil deesse, qvo minus Eucharistia cum Concilio Tridentino verè proprieqvè dicatur sacrificium. Verumenimverò multa sunt, qvæ ad hanc qvalemcunqve emollitionem regeri possunt. Nam I. manet, non dissimulante *Bossveto*, dissensus in eo, qvod cum per consecrationem panem & vinum in corpus & sangvinem mutari ipse asseveret, Lutherani hoc pertinacissimè negent, causati ejus rei nec volam nec vestigium in verbis institutionis comparere, à qvibus tamen salvâ veritate & reverentiâ Divini auctoris non possint recedere. Qvod si dixerit *Bossvetus*, saltem mutationem in genere utrinqve concedi, tum facile respondetur, non toleraturam Romanam Ecclesiam mutatio-

tationem illam, vel generaliter intellectam, vel accidentalem, qvam asserunt Lutherani, sed reqvisituram immutabiliter atqve disertis verbis substantialem, vi Confessionis Catholicæ, omnibus iis faciendæ, qvi in gremium Romanæ Ecclesiæ recipi gestiunt, qvam ideò subjecit Reunioni suæ *Jo. Dezius*; in qvâ ad Rom. Ecclesiam accessuri confiteri coguntur, *qvod tota substantia panis in corpus & substantia vini in sangvinem commutetur, qvam mutationem Catholica Ecclesia Transsubstantiationem essentiæ in essentiam appellet.* (s.) Cum igitur in ipso sacrificii fundamento, transsubstantiatione, irreconciliabilis sit dissensus Pontificios inter & Lutheranos, qvomodo per hoc mitigari dissensus in ipso sacrificio poterit? II. In consecratione mysticè separari corpus & sangvinem Christi, eò qvod Christus seorsim dixerit: *hoc est corpus meum, hic est sangvis meus*, à Lutheranis adeò non negatur, ut potius fortissimè & summo jure asseratur, qvod, qvemadmodum ob præceptam hanc ipsam separatam consecrationem sine grandi sacrilegio alterutrius Symboli consecratio omitti neqvit, qvod Romani confitentur: ita multò minus ob pariter præceptam utriusqve Symboli participationem alterutrius usus sine grandi sacrilegio possit omitti; qvod tamen communione sub unâ qvotidie faciunt Romani. Non potest allegari ulla ratio, præcepto utrobiq;, & in consecratione & in distributione, uno prorsus existente: *Hoc facite*, cur consecratio sub unâ fieri neqveat, possit autem fieri distributio? Qvin potius, qvia ob præceptum ad separatam utriusq; consecrationem obligamur, ex eodem præcepto & ad separatam utriusq; distributionem, etiam eò magis obligemur, qvo certius constat, consecrationem non aliam ob causam, nisi ob distributionem, præceptam esse. Adeò igitur per hoc, qvod in consecratione mysti-

(s.) Reun. p. 517. *Un changement ou conversion de toute la substance du pain en son corps & de toute la substance du vin en son sang.* Et in Germ. p. 523.

mysticè separari corpus & sangvinem à *Bossueto* advertitur, non mitigatur & ad Lutheranum sensum inflectitur Romana de sacrificio Missæ sententia, ut potius dissensus ejus à Lutheranâ Ecclesiâ eò fortius manifestetur. III. Jam verò qvo vel ad speciem argumento verosimile reddere Bossuetus poterit, per præceptam illam eamqvè mysticam corporis & sangvinis separationem, violentæ à Christo toleratæ mortis vivam & efficacem expressionem contineri? Hanc institutionis verba nec ullo qvidem indicio, verum eam solam insinuant, qvæ illicò subseqvitur, distributionem nimirum separatam: *accipite, edite; accipite, bibite.* Qvis poterit dubitare, in re tanti momenti, qvalis Romanæ Ecclesiæ est sacrificium Missaticum, qvod unicum qvasi totius religionis in se nervum continet, non clarius expressurum fuisse Christum vivam illam & efficacem passionis suæ imaginem? Cur verò non dictum fuerit: accepit panem, vinumqve, gratias egit, dixitqve: hoc est corpus & hic est sangvis meus, in hac separata mortis imagine vobis repræsentatus. Hæc DEO ante omnia offerte, deinde oblata distribuite, edite, bibite. Itane in V. T. sacrificia illa umbratica tam curiosâ accuratâqve institutione DEus descripserit, qvæ animalia, ubi, à qvo, qvâ formâ modoqve, in altari, qvem in usum sacrificari deberent, & sacrificium N. T. qvod illa nobilitate & præstantiâ non aliter ac cœlum hanc terram superare debebat, verbis tam tenebrosis & perfunctoriis delineaverit, ut num indigitet sacrificium, necne, & qvid circa illud, si tale sit, fieri velit, nec Oedipus possit divinare? Absit inconsiderata hæc à Servatore nostro, tanto cœli terræqve doctore, negligentia! Qvi lingvas omnium condidit, formavitqve, is verò perspicuè loqvi non possit? Qvi venerat, summâ cum humanitate & virtute docere mortales, is loqvi haud vellet ita, ut ab omnibus, qvid vellet, intelligeretur? At verò nihil pronum magis, nihil magis naturale est, qvam cum verba institutionis leguntur, intelligere,

gere, consecrasse Christum primo panem, haud aliam ob causam, qvam ut cum eo separato à bibitione vini actu corpus comedi posset. Hæc enim è vestigio sibi subjiciuntur: *accepit panem, fregit, benedixit, dedit, dixitqve: accipite, edite, hoc est corpus.* Deinde consecrasse vinum, nec hoc aliam ob causam, qvam ut cum vino separato à comestione panis actu sangvis bibi posset. Nam & hæc continuâ verborum serie connectuntur: *accepit vinum, gratias egit, dedit, dixitqve: accipite, bibite, hic est sangvis.* Ecce, non dicit: benedixit, obtulit; sed: benedixit, dedit. Qvomodo clarius Lutherana doctrina exprimi poterat? Qvî aliter verba & Evangelistæ & Christi possint, nisi omnem naturalem, qvi fertur in verba, sensum voluntariè exuere velimus, exaudiri? Locutus est Christus ita, ut vellet intelligi. Ergo intelligendus est ita, ut locutus est. Qvæ si vera sunt, ut vera esse in ipsâ solis mensâ jacet, per hoc ipsum momentum adeò non mitigabitur sententia Romanæ Ecclesiæ, ut Lutheranæ doctrinæ, tanqvam extra omne dubium veræ & prorsus Divinæ potius, validius contradicat. IV. Qvæ igitur ex his principiis deducitur à *Bossveto* conclusio: *nihil deesse, qvo minus Missa verè sit sacrificium*, eo ipso, qvia principia ista falsa sunt, & ipsa falsa esse ultrò intelligitur. Qvamqvam si præmissæ omnes veræ essent, tamen ex iisdem conclusio nullatenus seqveretur; qvod verò infra commodius ostendetur.

XV. Cæterum qvod dicit *Bossvetus*, religiosum consecrationis actum importare ejus, qvæ in DEO est, in omnem creaturam ac speciatim in humanum genus summæ atq; infinitæ potestatis professionem, nescio annon obscurè hoc dictum sit, aut certè aliud qvid dicere voluerit Episcopus. Nec enim consecrationi, aut rerum consecratarum in altari collocationi, sed collocatarum oblationi illa recognitio ab aliis Romanæ Ecclesiæ doctoribus annectitur. Aut si hanc sub collocatione fuerit complexus *Bossvetus*,

tus, diserte tamen exprimere ideo credo neglexit, qvia & consecrationis & ad altare adductionis aliqva invenerit in verbis institutionis fundamenta, ut easdem primo statim intuitu concessum à Protestantibus iri speraverit, oblationis verò nec ullum qvidem vestigium. Nec enim dicitur: gratias egit, dixitqve, hoc est corpus meum, hoc offerte, dein edite; sed: gratias egit, dixitqve: edite. Nec etiam satis intelligo, cur professionis hujus mentionem facere hoc loco *Bossvetus* voluerit, nisi forte ut Missæ sacrificio summam præ omnibus aliis actibus religionis exterioribus dignitatem admetiretur, neqve in describendo hoc sacrificio omitteret id, qvod videretur præcipuum. Qvo ipso tamen dissensum inter nos & Romanam Ecclesiam non emollit, sed amplificat, cum eminentia illa, qvâ soli Missæ sacrificio agnitio seu recognitio Divinæ potestatis adscribitur, cæteris verò actibus religiosis omnibus adimitur, à Lutheranis neqvaqvam concedatur. Qvam in rem superiore Tractatu fusè disseruimus. (t)

VI. Jam & ea consideranda nobis sunt, qvæ objectam à Lutheranis Sacrificio Missæ Pontificio asperitatem diluere ex Bossueti sententiâ debent. Et primò qvidem cum durum & intolerabile Lutheranis videatur, S. Evchariſtiam in sacrificium propitiatorium converti, qvo eluantur haud aliter ac per sacrificia V. T. hominum peccata, cum semel sacrificio crucis peccata omnium hominum expiata sint, Hebr. VII. 27. hanc Romanæ Ecclesiæ doctrinam ita mitigat Bossuetus: *Dubitari autem non potest, qvin actus ille, ut à manducatione distinguitur, acceptus DEO sit, eumq; ad nos benigniore vultu respiciendos inclinet; cum ei spontaneam, à dilecto Filio pro peccatoribus toleratam, mortem ob oculos reponat, aut ipsum potius Filium ejusdem, qvo placatus est Pater, mortis signis velatum. Solam Christi assistentis præsentiam nemo Christianus non fatebitur efficacissimam esse apud DEum, pro*

(t) Cap. II. §. XIV. usqve ad XXI.

pro humano omni genere intercedendi rationem, juxta id, quod Apostolus ait: Christum apparere DEI vultui pro nobis. EUM ergo SACRÆ MENSÆ IN HAC MORTIS IMAGINE ASSISTENTEM ATQVE APPARENTEM DEO, PRO NOBIS INTERCEDERE CREDIMUS, PATRIQVE MORTEM, QVAM PRO SUA TULIT ECCLESIA, PERPETUO EXHIBERE. Eo sensu dicimus, Christum se DEO pro nobis in Eucharistiâ offerre. Non aliter putamus oblatione illâ fieri, ut magis magisque nobis propitius sit DEus; ideoque propitiatoriam vocamus.

XVII. Ostensum in antecedentibus est, per consecrationis actum imaginem illam mactati per violentam mortem Servatoris nostri, ex intentione instituentis Christi, nullo modo produci, cum neqve verba id referant, neqve verborum virtus postulet, adeoqve temerè & fallò in hoc mysterio confingatur, & præterea nexus totius actionis, ab Evangelistâ descriptæ, eidem planè repugnet. Qvæ igitur de propitiatione DEI, commento illo imaginis Christi, mortis signis velati, DEOqve ob oculos positi, effectâ, dicuntur, tanqvam fragili fundamento innixa, ultrò concidunt universa. Nec enim pro arbitrio nostro fingere mysteria licet, eaqve ceu summum Divini Numinis cultum Ecclesiæ obtrudere, sed immotam seqvi necesse est verbi Divini regulam, extra qvam qvicqvid in totius religionis negotio comminiscimur, ingratum DEO est atqve abominabile. An verò putabimus, cum de sacramentali corporis & sangvinis Dominici distributione & acceptione dixerit Christus, dari ista in remissionem peccatorum, cum & corpus hunc ipsum in finem in mortem traditum & sangvis effusus sit, non longè magis de Sacrificiali eorundem in altari positione & repræsentatione coram DEO, qvippe qvæ ex Romanæ Ecclesiæ sententiâ actus est qvam ille Sacramentalis longè magnificentior, majorisq; pretii & momenti, dicturum fuisse, eandem fieri in remissionem peccatorum? Sed cum de corporis sangvinisqve sui & datione

ne & manducatione & bibitione & harum omnium actionum fine exprimendo prolixus sit Christus, de collocatione corporis sangvinisqve sui in mensâ, de eorundem coram oculis Divinis repræsentatione, de imagine violentæ mortis Christi, de fine horum actuum omnium, qvi tamen ad essentiam sacrificii memorativi pertinere debebant & qvi rei ipsius pondere atqve gravitate illos priores longissimè excedunt, altum tenet silentium. Nempe ex intentione Christi non debebat actus consecrationis, qvâ à manducatione distinctus est, DEum ad nos benigniore vultu respiciendos inclinare, sed tantum medium esse, qvo corpus suum sangvinemqve, neqve tam in mensa, qvam communicantibus, præsentia sistere ad comedendum bibendumq; posset, qvâ sacramentali comestione atqve bibitione, per fidem Christi beneficia memorantem factam DEus ad propitiam erga nos voluntatem moveretur. Neqve porrò in hoc Eucharistiæ actu debebat Christus sacræ mensæ assistere, DEO in imagine mortis apparere & vi hujus apparitionis pro nobis intercedere, de qvibus omnibus institutionis verba profundè silent, sed debebat se vi promissionis suæ communicantibus præsentem sistere, ut corpus ipsius & sangvis in animæ pabulum & fidei confirmationem, externo panis & vini Symbolo oculos mentemqve stimulante, sumi posset & participari. Hoc enim in institutionis verbis, ne ulla dubitationis causa superfit, diserte exprimitur. Non itaqve per Bossuetianam Sacrificii propitiatorii expositionem doctrina Romana ullo modo mitigata, sed dissensus potius, si res rectius consideretur, acrior fortiorqve demonstratus est.

XIIX. Nec est, qvod excipiat *Bossvetus; solam Christi assistentis præsentiam efficacissimam esse apud DEum pro humano omni genere intercedendi rationem.* Aut enim loqvitur vir clarissimus de intercessione Christi generali, qvâ ubicunqve est, pro nobis intercedere, cum æternus sit Pontifex, cujus inter-

intercedendi pro nobis aut verbis aut facto officium nunqvam ceſſat, (u.) intelligitur: aut de interceſſione, qvam vocant, modificatâ & tali, qvâ ex ſuomet inſtituto, corpore ſangvineqve ſuo hunc ipſum in finem præſentem ſe ſiſtere concipitur, ut oſtenſis mortis ſuæ violentæ ſignis, pro hominibus intercedat, ceremoniâ qvadam peculiari & qvaſi ſolenni. De priori illâ qvæſtio nulla eſt, cum iſthoc pacto ubiqve, ſi non humanitate, qvod credunt Lutherani, tamen Divinitate, qvod non inficiantur Pontificii, præſens ſit & vel generatim pro omnibus, vel ſpeciatim pro iis, qvi eundem ſeriò invocant, intercedat. Qamqvam igitur Chriſtus, corpore atqve ſangvine ſuo in cœnâ præſens & à communicantibus ore pariter corporis atqve animi, id eſt, verâ cum fiduciâ in promiſſionem remiſſionis peccatorum, in Sacramento oblatæ, apprehenſus, juxta Lutheranorum doctrinam nobis præſentiſſimus ſit & pro nobis efficaciſſimè intercedat, non magis tamen præſentiâ illâ ſuâ propitium nobis reddit DEum, qvam reddit vel in Baptismo, ubi Chriſtus induitur, (x.) adeoqve præſentiſſimus pro nobis intercedit, nec tamen ullum ideò redditur in Baptismo ſacrificium. Qvinimò in omnibus Chriſtiani piiqve hominis actionibus præſentiſſimus eſt Chriſtus (y.) & pro nobis intercedit, (z.) nec tamen ideò ſacrificium ſemetipſum pro nobis offerre à Romanis dicetur, qvi hanc eminentiam ſoli Miſſæ adſcribunt. Qvod ſi interceſſio intelligatur illa, qvam diximus, modificata, redit difficultas, ſæpe à nobis allegata, nec ejus ullum in inſtitutione reperitur indicium. Nobis verò extra magiſtri noſtri dictata ſapere non licet, nec vel latum ungvem in tanto myſterio ab ipſius voluntate recedere. Nec enim magis ex noſtro ingenio SS. Evchariſtiam in Theatricum iſtiusmodi & imaginarium ſacrificium, idqve propitiatorium transfigurare

(u.) Hebr. VII. 24. (x.) Gal. III. 27. (y.) Matth. XXIIX. 20. (z.) Rom. IIX. 34.

fas est, qvam vel Baptismum, vel preces nostras qvotidianas vel alia id genus pietatis exercitia, qvibus Christus efficaci intercessione æqvè ac Evchariſtiæ, qvamqvam non eo modo, præsens est. Si dixeris: sufficere, si ab utraqve dissentientium parte dicatur, per consecrationem præsentem sisti Christum, eundemqve sub imagine mortis DEO offerri, ut is hoc spectaculo & intercessione Christi commotus peccatis nostris propitius reddatur: tum respondetur, præterqvam qvod sententia hujus orationis verbis institutionis, qvibus arctè inhærendum est, (Aa.) non sit consentanea, ceu ex supra dictis constare potest, nunqvam hac professione contenti erunt Romanenses, qvippe qvi reqvirent, ut juxta professionem Fidei Catholicæ dicatur: *credo, qvod in Missâ offeratur DEO verum sacrificium propitiatorium, propriè dictum sacrificium, qvod offertur pro vivis & pro mortuis* (Bb.). Qvæ verba conceptum menti longè alium, qvam qvalis in generalibus istis verbis repræsentatur, imprimere postea ostendemus.

XIX. Patet hinc, qvid judicandum sit de verbis Bossueti, qvæ superioribus è vestigio adjecit: *Et qvidem cum attendimus, qvid in hoc mysterio Christus operetur, enmqve sacræ mensæ cum his mortis signis reipsa præsentem fidei oculo contuemur, ipsi ita præsenti pio nos affectu conjungimus; ipsum DEO, ut hostiam nostram unicam, unicumqve per sangvinem suum propitiatorem offerimus, nihil nos habere protestati, qvod offeramus DEO præter Christum, mortisq; Christi dignitatem infinitam. Preces ergo omnes nostras Divinâ hac oblatione consecramus, Christumq; DEO offerentes, nos simul tantæ majestati in ipso & per ipsum, ut vivas hostias, offerre dicimus.*

XX. An verò erravero, si dicam, in præsenti discursu

(Aa.) Gal. III. 15. (Bb.) Art. VI. Qvæ ita in Germanico reddidit Dezius: Ich bekenne / daß in der Meß GOtt dem HErrn ein wahres eigentliches und versöhnliches Opffer / (rectius: ein versöhn Opffer) für die Lebendige und Todte auffgeopffert werde.

ſu doctiſſimum Episcopum ſtudio oblationem ſacrificialem, qvæ fit à ſolo ſacerdote, cum ſpirituali, qvæ fit à communicantibus piâ animi devotione, confundere, vel eum in finem, ut propius ad Lutheranæ Eccleſiæ doctrinam accedere & Romanam in Lutheranorum auribus tolerabiliorem reddere videatur? Noverat, Lutheranos in omni actu religioſo, cui junctæ ſunt ad DEum preces, animos ſuos ad DEum ita attollere, ut deſideria ei ſua per Chriſtum commendent, extra qvem nihil gratum eſt DEO, id eſt, Filium ejusqve paſſiones & merita DEO ob oculos ponere, ut eorum intuitu ſalutare illud nobis ſit, qvod agimus, qvodq; ab eo petimus. Id igitur & fit in uſu SS. Euchariſtiæ, ſed hoc ordine modoqve: Offert mihi communicanti, Servator meus in amoris ſui pignus corpus ſangvinemq; ſuum, ſub externis ſymbolis cum commemoratione ſuorum in me meritorum comedendum & bibendum. Qvæ dum ore animoqve accipio, fideli ſtatim pioqve affectu Chriſto conjungor, eumqve DEO Patri animi mei devotâ reflexione reddo, ut illum peccatis meis propitiet, omnisqve generis beneficia ab illo mihi procuret. Hæc iſto modo atqve ordine facta oblatio, qvæ eſt ſpiritualis animi noſtri motus, conſentanea eſt inſtitutioni Chriſti, adeoqve voluntati Divinæ, cui unicè obſeqvi, nec qvicqvam contra illam admittere hominem, ſervatoris ſui ſeriò amantem, decet. Hac enim, non aliâ, ſerie actus illi ſe invicem in inſtitutione conſeqvuntur. Qvisqvis verba ſine præconceptâ opinione legerit, ſi præſertim explicatio Paulina acceſſerit, (Cc.) reperire alium faciendorum ordinem non poterit. At verò ſi *Boſſveti* diſcurſus ex Romanæ Eccleſiæ ſenſu intelligatur, oblatio hæc toto cœlo reddetur diverſa. Nempe juxta hanc offert ſe adductus per conſecrationem Chriſtus, in imagine mortis ſuæ, non communicaturo, ſed ſacerdoti. Ab hoc, non à communicante, offertur & verè ſacrificatur DEO

(Cc.) I. Cor. XI. 26.

DEO Patri. Talis enim oblatio sacerdotalis, spirituali, qvalis Lutheranorum est, contradistincta, soli convenit sacerdoti. Hic verò actus sacerdotalis per se, eò qvod eundem operatur sacerdos, ei, pro qvo hoc sacrificium offertur, DEum propitiat, ab eoqve beneficia, qvæ desiderat, impetrat; etiamsi hic nec in actu offerendi pio se affectu Christo conjungat, dummodo à peccato mortali liber sit, (qvamqvam plus beneficiorum promereatur, si etiam in ipso offerendi actu devotionem exhibeat) nec carnem sangvinemqve Christi juxta institutionem ipsius participet. Ecce qvantum sententiatum divortium, sub generalibus *Bossveti* verbis occultatum! Jam si priori sensu Lutheranus oblationem, propitiationem & sacrificium in Evchariſtiâ intelligat, rejiciat verò eandem sensu posteriori, qvia illam oblationem voluntati instituentis congruentem, hanc adversam judicat, num ille tolerabitur in Romanâ Ecclesiâ? Sed nec feretur, si sub verbis generalioribus vel levicula suspicio sit, Lutheranum sensum latitare.

XXI. Progrediendum nunc est, videndumqve, qvo pacto & cæteras Lutheranorum objectiones, in Missæ sacrificium conjectas, diluat *Bossvetus*. Nihil magis Lutheranis vel in sacratissimam Scripturam vel in sanam rationem iniqvum atqve absurdum est, qvam sacrificium propitiatorium, verè proprieqvè dictum, in qvo mors animalis, qvod sacrificatur, non intercedit. Aut igitur umbra & simulacrum tantum sacrificii juxta ipsos est Missa, aut si sit verum sacrificium, cui ad proprietatem sacrificii nihil desit, Christus, qvod auditu horrendum est, hodie iterum mactetur, moriaturqve necesse est, qvod fieri non posse pronunciat Apostolus. (Dd.) Hanc tam gravem accusationem ita abstergere *Bossvetus* ad laborat: *Hoc illud est Christianorum sacrificium, à prisco sacrificandi ritu, in lege præscripto, longè remotissimum, spirituale sacrificium, novo qvidem*

(Dd.) Rom. VI. 9.

dem dignum fedare ; in qvo præsens victima solâ fide conspicitur, in qvo gladius verbum est, corpus & sangvinem mystice dividens ; qvo proinde SANGVIS NON NISI MYSTERIO FUNDITUR, NEC NISI IMAGINE MORS INTERCEDIT : tamen sacrificium, qvo Christus contineatur verissimè, DEOq; sub hac mortis specie offeratur. Immo qvo non tantum Christus contineatur verissimè, sed & ita offeratur, *nihil ut illi oblationi desit, qvo minus verè sit sacrificium.*

XXII. Ita est, eqvidem. Non aliunde, qvid victima sit, qvid sacrificium, Protestantes scire aut dijudicare possunt, nisi ex sacrificiorum verè dictorum descriptione & exemplis, qvæ ipsis magno numero & pondere suppeditat Scriptura. Nulla ibi victima, nisi adducta in medium, nisi mactata atqve oblata. Non sufficiebat, præsentem esse pecudem, sed sangvis ejus fundi & privari ipsa vitâ debuit. Nec mors tantum in imagine repræsentari, sed inferri. Nec deniqve ex arbitrio hæc fieri, sed ex voluntate Divina, modum rationemq;, qvâ singula facienda fuerant, præscribente. Mortui qvoqve animalis caro & sangvis in altari debebat offerri. Adeo vera, adeò perpetua hæc fuerant, ut nec apud gentiles mos alius obtinuerit unqvam. Non vident Lutherani, in Eucharistiâ horum qvicqvam vel fieri vel mandari. Sacrificii in illius institutione & descriptione nullo verbo mentio. Nulla in victimâ, Christo, mors, nulla sangvinis à corpore separatio. Nullum de sacrificando, vel in imagine & umbrâ, mandatum. Audimus corpus Christi adesse & sangvinem. Audimus edendum esse & bibendum. Audimus mortem Christi memorandam esse, deniqve faciendum esse, qvod fecit Christus. De morte Christi sive verâ, sive imaginariâ, nullum verbum. Nullum de mactatione, nullum de oblatione? Ubi igitur sacrificium, idqve verum & propriè dictum? Immò ubi sacrificium, vel in imagine tale? At, inqvit *Bossvetus*, sacrificium missa est, sed non corporale, verum spi-

rituale. Divisio carnis & sangvinis, non qvæ gladio fit, sed verbo. Mors, qvæ non verè, sed in imagine intercedit. Tamen verè, tamen propriè sacrificium. Id si verum esset, παράδοξον hoc foret verè grande atq; inauditum. Atqve I. qvidem majori hoc specie Calvinianis obtrudere posse Bossuetum non inficiamur, qvibus & ipsis in simili argumento absurdum non est, Christum hominem, seu corpus & sangvinem Christi in Eucharistiâ virtute tantum suâ & efficaciâ & spiritu & mysterio adesse, & tamen verè adesse. Hanc enim veram realemqve præsentiam largiendo conciliari cum Lutheranis desiderant. Qvidni igitur & spiritu atqve mysterio sacrificari & verè sacrificari? Saltem ergo facilius cum Episcopo qvam Lutherani transigere de hoc paradoxo poterunt Reformati. At verò II. ut verè absurdum est, nonnisi in imagine suspendi & verè suspendi: ita verè absurdum est, nonnisi in imagine mortem Christi intercedere, & tamen verè sacrificari. Qvis verò non videat, hæc esse contradictoria, qvæ vocant Philosophi, in adjecto? Et qvis naturali coactus judicio non hunc in modum argumentetur: qvodcunqve sacrificium à prisco sacrificandi ritu, in lege præscripto, longè remotissimum est; Ubicunqve animal non verè, sed mysticè tantum & nonnisi in imagine seu præfiguratione mactatur; Ubicunqve victima solâ fide conspicitur; Ubicunqve corpus & sangvis animalis non verè, sed in verborum tantum pronunciatione separantur; Ubicunqve sangvis nonnisi in mysterio funditur; ubicunqve animal non verè sed in vivâ tantum & efficaci imagine moritur; ubicunqve mors non vera est, sed mortis tantum memoria innovatur & recolitur, ibi nec verum est, sed mysticum tantum & imaginarium, atqve adeò impropriè dictum sacrificium? Aut rationem ipsam falli & fallere nos necesse est, aut hujus collectionis agnosci oportet vim atqve virtutem. Adeò veritas hujus propositionis ex ipsorum verborum tenore & sono, qvampri-

primum auditur, intellectui illabitur eundemqve ad assensum cogit. Ut comœdia eo ipso, qvia vera in illâ historia tantum repræsentando memoratur & qvasi in vivâ efficaciqve imagine sistitur, vera historia non est: ita sacrificium mortis Christi, mysticis tantum qvibusdam actionibus in imagine expressum, hoc ipso verum sacrificium non est, sed sacrificii tantum imago atqve rememoratio. III. Si ob vivam efficacemqve mortis Christi in Missâ repræsentationem verum proprieqvè dictum datur sacrificium, tum ob vivam efficacemqve corporis à sangvine, qvæ consecrandi actu fit, separationem verè proprieqvè mactabitur atqve occidetur Christus. Non enim inter imaginem repræsentati sacrificii & inter verum proprieqve dictum sacrificium major est nexus, qvam inter imaginem repræsentatæ occisionis atqve mactationis & inter veram proprieqvè dictam mactationem atqve occisionem. Atqve hoc ipsum illud est, qvod Lutherani Romano Missæ sacrificio objectant: denuò in illo mactari & occidi Christum, si verum Missa sit sacrificium. Qvod tamen profiteri hactenus non ausa est Romana Ecclesia. Ut summatim dicamus, donec illud Tridentinorum: VERE PROPRIEQVE, steterit, nunqvam vel cum colore aliqvo mitiorem induet faciem doctrina Romana. Qvod adeò & ipsum illustrissimum *Bossuetum*, sagacissimi judicii scriptorem, latere non potuit, qvi, ceu supra memoravimus, in primâ Expositionis suæ editione, omissâ propriè dicti veriq; sacrificii mentione, Missam *ex probabili ratione nuncupari posse sacrificium*, qvasi ex Missâ nominale tantum & nuncupativum sacrificium facere vellet, ut eò minus ab hoc sacrificio alienos redderet Protestantes, asseruit. Viderat nempe verum esse, qvod ante ipsum in eadem Romano-Catholicâ Ecclesiâ scripserat *Matth. Galenus*, Theologus Duacensis, *Eximius*, judicio A. G. Volusii, *& celeberrimus*, cujus verba, à *D. Gerh. Titio* nostro jam olim adducta & Pontificiis oppositа, denuò pro-

ducemus. *Si Spiritui S.* inqvit, *atq; alterutri Tridentino conventui visum foret, inter mille controversias, è medio feliciter sublatas & salubriter dissolutas obscurissimam definitionis sacrificii qvæstionem ad eum modum illustrare, non modo adversariis & scholis orthodoxis melius consultum videretur, verum etiam liceret hic nobis acqviescere & hujus disputationis compendium facere. Ut si fas est dicere, simus deinceps iniqviore loco pugnaturi. Poteramus enim hactenus præscribere adversariis ex vocibus attributis nostro sacrificio & Patrum testimoniis, vel uti Augustini definitione, vel postremò fateri, hoc nostrum sacrificium esse qvidem improprium, non tamen illud nomen malè retinere, cum sit primi illius sacrificii imitatio.* (Hoc est, *raisonnablement* & cum qvalicunqve ratione nominari sacrificium) *Nunc autem in primo statim canone XXII. Sessionis damnarunt Tridentini Patres, immò qvi per eos loqvebatur, Spiritus Sanctus, omnes, qvi Missam non proprium dicunt sacrificium: tertius autem canon execratos habere jubet eos, qvi asserunt, eatenus modò dici Missam sacrificium, qvatenus est ejus, qvod in cruce peractum est, commemoratio.* (Ee.) Vide, qvam candida, ingenuaqve confessio!

XXIII. Canonis modo allegati hæc sunt verba: *Si qvis dixerit, Missæ sacrificium tantum esse laudis & gratiarum actionis, aut nudam commemorationem sacrificii, in cruce peracti, non autem propitiatorium, vel soli prodesse sumenti, neq; pro vivis & defunctis, pro peccatis, pœnis, satisfactionibus & aliis necessitatibus offerri debere, anathema sit.* Non veretur hunc Canonem *Bossvetus* pro confirmandâ suamet sententiâ: IDEO TANTUM sacrificium Missam à Romanâ Ecclesiâ dici, qvia sacrificium crucis Christi nobis in memoriam revocet applicetq;, adducere atqve laudare, simulqve ex eodem canone respondere ad aliam Lutheranorum objectionem, qva hi ex freqventi repetitione Missatici sacrificii concludunt, sacrificium à Christo in cruce oblatum non fuisse

(Ee.) Ostens. Summ. p. 91. Et Tr. De Phras. Vet. Eccl. p. 145.

fuisse perfectum. Verba, qvæ superioribus à nobis allegatis subjicit, hæc sunt: *Ea verò est Ecclesiæ Catholicæ expressa in Concilio Tridentino doctrina, qvod sacrificium istud IDEO TANTUM docet institutum esse, ut illud semel in cruce peragendum repræsentaret, ejusq; memoria in finem usq; seculi permaneret atq; illius salutaris virtus in remissionem eorum, qvæ à nobis qvotidiè committuntur, peccatorum, applicaretur. Itaqve Ecclesia nedum crucis sacrificio deesse aliqvid sentiat, illud adeò perfectum credit, pleneqve sufficiens, NIHIL UT POSTEA FIAT, QVOD NON AD EJUS MEMORIAM RECOLENDAM, applicandamqve virtutem ex suâ institutione pertineat. Sic agnoscit Ecclesia meritum omne redemptionis humanæ in Christi morte positum; exqve his omnibus, qvæ à nobis exposita sunt, intellectum oportuit, cum DEO in Divini celebratione Sacramenti dicimus: offerimus tibi hostiam sanctam, non id eâ oblatione nos agere, ut iterum salutis nostræ pretium aut solvamus aut offeramus, sed ut præsentis Christi merita, infinitumqve illud pretium, qvod pro nobis semel in cruce persolvit, apud DEUM interponamus.*

XXIV. Velim autem scire ab illustrissimi nominis Episcopo, qvo modo sententiam suam: Missam esse sacrificium tantum memorativum & applicativum, ut cum scholis loqvamur, non dicam, educere ex Concilio Tridentino, sed cum illo conciliare velit? Docebant Lutherani: Eucharistiam sacrificium dici posse improprio & spirituali significatu, qvâ in illo, dum edimus corpus in mortem pro nobis traditum & sangvinem pro nobis effusum, mentis oculos, non qvidem in separationem corporis & sangvinis Christi, tanqvam in imaginem mortis ipsius, (qvam repræsentare se velle hoc pacto, nullo in verbis suis indicio Christus significavit) tamen in ipsam mortem Christi, in cruce olim toleratam, & in effusionem sangvinis, sine qvâ nulla fieri poterat peccatorum remissio, elevemus & hac fideli ipsius & gratâ piaqve consideratione atqve memoratione,

beneficium remissionis peccatorum, in S. Eucharistiâ nobis oblatum, nobis ipsis, Eucharistiâ utentibus, non aliis, applicemus, eoq; fruamur. *Qvotiescunq; de hoc pane ederitis & de hoc calice biberitis*, (non qvotiescunq; corpore & sangvine Christi, separatim in altari positis, mortem Christi in imagine repræsentaveritis) *mortem Domini annunciabitis, donec veniat.* (Ff.) Noverant hoc Tridentini, atqve ideò suæ Ecclesiæ doctrinam huic nostræ Lutheranæ directè opponunt: Non est Eucharistia tantum laudis & gratiarum actionis & memorationis sacrificium. Non prodest tantum per applicationem sumenti. Eucharistia est sacrificium verum & propitiatorium. Prodest non per fidelem mortis Christi intra animum sumentis memorationem, sed per corporis sangvinisqve Christi, separatim in altari positorum, factam à solo sacerdote oblationem. Prodest ex opere sacerdotis operato, etiam sine bono motu præsentis, illi qvoqve, qvi Eucharistiâ non utitur, dummodo peccatis mortalibus non sit involutus. Clarissimum hinc est, præter rememorationem & applicationem, inter edendum & bibendum juxta institutionem Christi factam, qvæ duo Lutherani in usu Evchariſtiæ concedunt, Tridentinos præterea propitiationem qvandam sacrificialem docere & reqvirere, qvâ ipse actus externè repræsentandi mortem Christi, eumqve sub hac imagine DEO Patri à solo sacerdote offerendi, non memoratio fidei seu mentis, ab accipiente corpus & sangvinem facta, DEum propitium reddat ad varia nobis aliisqve corporis animiq; beneficia elargienda. Qvare, qvi crimine qvopiam perpetrato pœnam promeruit, eamqve à se aversam cupit, vel qvi beneficium sanitatis corporalis & facultatum suarum augendarum desiderat, non tenetur, ut vult Concilium, juxta Lutheranorum sententiam debitâ cum pœnitentia ad hoc sacramentum accedere & remissionem peccatorum, unâ cum edendo corpore & biben-

(Ff.) I. Cor. XI. 26.

bibendo sangvine Christi, (juxta verba: *edite, hoc est corpus, PRO VOBIS traditum; bibite, hic est sangvis, pro peccatis vestris effusus*) sibi oblatam, acceptare & hoc pacto beneficia, per sacramenti usum dispensanda, sibi applicare, sed sufficit, si sacerdos, vel rogatus, vel ultroneo instigatus pietatis motu, consecratione Evchariſtiæ imaginem efficiat mortis Christi, Christumqve in hac mortis imagine præsentem sacrificiali actu offerat, neqve reqviritur necessario, ut ii, qvi beneficiorum illorum participes reddi cupiunt, vel ipsi adsint, cum sacrificialis hæc imago offertur, vel ut devotione suâ eandem comitentur & mortem Christi fideli pœnitentiâ memorent, vel deniqve oblata in imagine corpus & sangvinem Christi edant bibantqve. Ecce, qvantum hoc iterum est sententiarum divortium, qvod sub generali illâ, neqve satis enucleatâ, doctrinæ Tridentinæ expositione, Bossvetus occultat! Neqve verò ullo modo ei, qvi à Lutheranis ad Romanos accessurus est, suffecerit, cum Episcopo generatim profiteri, in Eucharistiâ peractum semel in cruce sacrificium repræsentari, (qvamqvam & hoc falsum sit, neqve ullâ vel probabili saltem ratione ostendi possit) ejusqve memoriam in finem usq; seculi permanere atq; illius virtutem in remissionem peccatorum applicari. Necessum est, sub anathematis pœnâ, ut cum Concilio Tridentino dicat, non commemorari tantum in Eucharistiâ crucis sacrificium, sed de novo sacrificium propitiatorium offerri, perq; oblationem illam, non per commemorationem, comestioni & bibitioni conjunctam, peccata remitti & beneficia impetrari. Qvod est dissidium, qvousqve hic canon Tridentinus manet, irreconciliabile. Unde & in Confessione fidei Catholicæ non dicitur: credo, qvod in Missâ offeratur DEO TANTUM sacrificium rememorativum; *qve ce sacrifice n' est institué qv' afin de représenter*, ut ait Bossvetus, sed: *credo qvod in Missâ offeratur verum sacrificium propitiatorium, propriè dictum sacrificium, qvòd*

qvod offertur pro vivis & pro mortuis; qvod ipso verborum sono, præcipuè attendendo canonem Tridentinum, plus exprimit qvam merum sacrificium memorativum, totidemqve verbis enunciat: vray sacrifice, *verum sacrificium*, itemqve: proprement dit sacrifice, *propriè dictum sacrificium*. Sacrificium autem verum & propriè dictum & sacrificium TANTUM memorativum & imaginarium, qvod nobis commendat Episcopus, in adjecto sibi contradicunt.

XXV. Jam cum à Lutheranis objicitur, detrahi per repetitionem Missatici sacrificii perfectioni sacrificii Christi, in cruce peracti; hoc enim si omnia peccata nostra deleverit, alio sacrificio, aut ejusdem sacrificii repetitione opus non esse; vide, qvæso te, & considera, qvo pacto declinare hoc telum, magnâ certè specie, qvamprimum auditur, oculos auresqve feriens, & mitigare opinionis Pontificiæ τὸ παραδοξον, Bossuetus annitatur. Negat delibari per hanc repetitionem qvicqvam perfecto meriti Christi pretio, cum secundum suam institutionem nihil aliud velit illa repetitio, qvam memoriam perfecti sacrificii renovari, applicari virtutem & præsentis Christi merita DEO, ad eundem sibi propitium reddendum, repræsentari: neqvaqvam verò id agi, ut cum dicimus: offerimus tibi hostiam sanctam, iterum salutis nostræ pretium aut solvamus aut offeramus. Mira profectò res est. I. Negat uno eodemqve ore Episcopus, qvod in iisdem verbis asseruerat, asserit, qvod negaverat. *Non offerimus*, inqvit, *ut istâ oblatione offeramus*. In Missâ igitur offertur & non offertur, sacrificium est & non est sacrificium. Offertur infinitum Christi pretium & tamen non offertur, sed apud DEum interponitur. Ergone Christus ipse, cum in arâ crucis semet obtulit DEO patri suo in sacrificium, infinitum meriti sui pretium apud DEum non interposuit? Ergone sacerdos cum in Missâ infinitum meriti Christi pretium apud DEum interponit, Christum non offert DEO in sacrificium? Ergone Missa non est sacrificium

um veri nominis & propriè dictum ? Si Missa est verum proprieqve dictum sacrificium, sicut tale esse infallibili Tridentini Spiritus ore definitur, ita infallibiliter hostiam sanctam offert sacerdos, ut oblatione suâ salutis nostræ pretium offerat & offerendo infinitum pretium apud DEum interponat. Utrumqve secundum Pontificios agit sacerdos: & offert & interponit. Qvod vel inde immotâ ratione patescit, qvia qvilibet de sacrâ Evchariſtiâ participans infinitum meriti Christi pretium inter se & inter DEum interponit, at solus sacerdos offert. Si dixeris: sacerdotem peculiari ratione & sacrificialiter interponere, rogo te, annon particulari qvoqve ratione & sacrificialiter offert ? Id nisi fecerit, propriè non sacrificabit, nec veri nominis celebrabit sacrificium. Video eqvidem, qvid dicere velit Bossuetus: offerimus scilicet nos sacerdotes tibi hostiam sanctam, nec id eâ oblatione agimus, ut iterum salutis nostræ pretium, Christum, in duas partes, animam à corpore divellentes, solvamus atqve ita solutum atqve cruentum offeramus, sed ut pretium tantum præsentis Christi apud DEum interponamus. Sed per hanc interpretationem nondum à se amovet eas difficultates, qvas illi ex sacrificii, qvantumlibet incruenti, veritate & proprietate summo jure objectavimus. Qvousq; enim manet sacrificium propriè dictum, eousqve & manet oblatio propriè dicta & manent cætera omnia, ad essentiam veri sacrificii facientia, cum à proprietate rei ejus essentiam & qvæ ex essentiâ consequuntur, qvale qvid in Missâ est vera animalis, non imaginaria, mactatio, veraq; irati Numinis reconciliatio, non reconciliationis tantum applicatio, separari tam sit impossibile, ac ab homine rationem. Jam II. qvomodo repetitio sacrificii, in cruce oblati, *juxta institutionem suam* potest esse renovatio memoriæ prioris sacrificii & applicatio virtutis ipsius, cum in verbis institutionis nec litera, nec vola, nec vestigium illius sacrificii, aut repetitionis aut applicationis compareat? Id qvòd

eousqve verum erit, donec indubitatum sacrificii alicujus, ejusqve propriè dicti, indicium ex primâ Evchariſtiæ inſtitutione fuerit demonſtratum. Sine clariſſimâ enim Scripturæ literâ æqvè credere non poſſumus, repetendum nobis eſſe, qvamqvam incruento qvidem, vero tamen proprieqve dicto modo, in Evchariſtiâ oblatum ſemel in cruce ſacrificium, ac incredibile nobis eſt, ſine diſerto Scripturæ teſtimonio, mactandum nobis hodie eſſe & occidendum, verè qvidem propieqve dicto modo, incruento tamen, Chriſtum. Non enim illius rei magis qvam hujus, aut minus hujus qvam illius argumentum ullibi conſpicitur. Cumqve æqvè à ratione omni remotum ſit, Chriſtum, in gloriâ conſtitutum verè ſacrificari, ac eundem, eo poſitum in ſtatu, ubi mori amplius neqvit, verè occidi, neceſſe eſt, intellectum noſtrum, ut ſub obſeqvium tantæ tamqve ὁμολογεμένως μεγάλης fidei captivetur, verbo Divino planè invincibili irrefragabiliqve conſtringi. Qvod ſi ideò, ut applicari nobis oblatum ſemel in cruce ſacrificium poſſit, verè iterum proprieqvè, qvamqvam incruento modo, ſacrificandus eſt Chriſtus, cur non ob eandem rationem iterum verè proprieqve naſcendus, verè proprieqve circumcidendus, verè proprieqvè baptizandus? Si verò eum ipſum in finem in imagine qvidem, verè tamen proprièqve offerendus hodie eſt Chriſtus, cur non in imagine qvidem, verè tamen naſcendus? Illud igitur ſi aſſerueris, hoc verò negaveris, rationes adducendæ erunt, animum ad αὐτοκατάκρισιν usqve convincentes atqve cogentes; qvæ verò ex verbis inſtitutionis ne qvidem ad ſpeciem ullam, ceu ſupra oſtendimus, poſſunt adferri.

XXVI. Supereſt, ut qvo pacto expoſitionem ſuam, inqve illâ inſtitutam Romanæ de Miſſæ ſacrificio doctrinæ mitigationem, concludat Boſſvetus, diſpiciamus. Ita autem ille: *Sanè Calviniani Chriſtum offendi non putant, cum eum, ut fidei præſentem, offerunt. Sin & re præſentem adeſſe crede-*

crederent, qvid esset, cur etiam, ut re præsentem, ipsum offerre vererentur? Itaq; concertationem omnem, si bonâ fide ageretur, ad solam redigi de præsentiâ controversiam oporteret. Qvæ cum ita sint, evanescere illa omnia deberent, qvæ sibi de sacrificio nostro Calviniani falsò fingunt. Agnoscere debuissent, non eam Catholicorum esse mentem, ut novam sibi propitiationem qværant, qvâ de integrò placetur DEus, velut ipsi non esset crucis sacrificio satisfactum, aut qvâ supplementum aliqvod salutis nostræ pretio, velut imperfecto, adjiciatur. Nullus his omnibus in doctrinâ nostrâ locus est, cum hic omnia intercessionis applicationisq; ritu, eâ, qvæ modo exposita est, ratione peragantur!

XXVII. Duo hic dicuntur: primò, unicam inter Romanos atq; Protestantes de reali, qvam vocant, Christi in SS. Eucharistiâ præsentiâ controversiam esse. Secundò, hanc si crederent Calviniani, nihil causæ esse, cur non sacrificio Missatico illicò calculum essent addituri. Ita intelligo Episcopum, unam illam realem præsentiam Christi in S. Eucharistiâ, si negetur, idoneam esse, qvæ & sacrificium Missaticum & qvæcunqve circa illud Tridentina Synodus IX. canonibus determinavit, destruat & assensum his decretis præbendum suspendat; si verò concedatur, pronam esse viam, ad credendum, præsentem realiter Christum & sub mortis signis oblatum veri sacrificii rationem habere. Non fallitur qvoad priorem argumentationem Bossuetus, cum victimâ non præsente sacrificium neqveat offerri, fallitur autem qvoad posteriorem. Præsens enim victima sacrificium non absolvit, nisi sacrificiali actu mactata fuerit & oblata. De imagine mactationis nihil in institutionis verbis, cum, ut sæpius dictum, separata consecratio, ipso verborum nexu clarissimè ostendente, separatam sumptionem respiciat, non præfiguret mortem. Qvemadmodum si Medicus Epileptico præciperet: recipe Gallum Gallinaceum & primum emissum ex eo sangvinem bibe, deinde verò carnem hoc illove modo præparatam comede. Nemi-

ni hic cuiqvam in mentem venerit, figuram mortis illâ actione repræsentare Medicum, illâqve repræsentatione nescio qvam virtutem medicamento asserere voluisse. Omnes illicò animadvertunt, separationem illam sangvinis & carnis separatam cujuslibet sumptionem unicè intendere. Planè ad hunc modum in institutione Eucharistiæ Servator noster. Jam pone, mortis simul figuram separato consecrationis actui imprimere voluisse Christum, figuratum tantum, non verum proprieqve dictum, sacrificium instituerit Christus necesse est, si qvidem instituit. Qvalis enim est sacrificandi actus, à qvo formam accipit sacrificium, tale & esse ipsummet sacrificium ultrò intelligitur. Qvinimò ne qvidem solus mactandi actus, adeoqve nec sola mactationis mortisqve imago, sacrificium vel verum vel imaginarium efficit, nisi laniones nostros qvotidie sacrificare dicere velimus, sed reqviritur, ut id qvod mactatum est, DEO in altari ex instituto, non arbitrario, sed Divino offeratur. Jam si imaginem mortis suæ ob oculos separatâ symbolorum consecratione ponere in animo habuit Christus, ubi vestigium ullum, ullum in verbis institutionis indicium est, voluisse Christum, ut ipse sub illis mortis signis, & qvidem à solo sacerdote offerretur? Dixisse eundem lego: *accepit panem, consecravit, dixitq; : edite, hoc est corpus.* Non lego dixisse: accepit panem, consecravit, dixitqve: hoc est corpus meum. Hoc offerte & edite. Nec ullum præterea prolocutus est verbum, ex qvo offerendum esse sacrificialiter corpus suum ullus homo sapiens colligere poterat. Credo, hinc ipso sole, cum in meridie sudum est, clarius esse, abludere à vero Bossveti effatum: *concertationem omnem, si bonâ fide ageretur, ad solam redigi de præsentiâ controversiam oportere.*

XXIIX. Deinde qvando Bossvetus hunc in modum colligit: si Calviniani Christum offendi non putant, cum eum, ut fidei præsentem offerunt, non esse, cur vereantur, ipsum

ipsum etiam ut re præsentem offerre, si & re præsentem adesse crederent; haud molestè feret Episcopus, si in verbis ipsum manifestè ludere dixero. Nam qvo pacto Calviniani Christum, re absentem, præsentem autem fide, offerunt, meritum nempe ejus inter se & DEum iratum firmâ fiduciâ interponendo: ita & re illum offerrent, si cum Lutheranis crederent, re eundem in Eucharistiâ adesse; & tamen per hoc sacrificio Missatico nihil accederet. An enim Lutherani, qvia in Eucharistiâ re præsentem adesse credunt Christum, illumqve sibi præsentem, ob præceptum Divinum: *qvotiescunq; hoc feceritis, mortem meam memorabitis*, fiducialiter DEO offerunt, ideò & offerunt sacrificialiter? An qvotqvot sub cruce Christi stantes, effusum ex vulneribus ejus sangvinem, àqve corpore separatum, atq; adeò Christum, mortis signis velatum, re præsentem inspexerunt, DEOqve summâ animi sui fiduciâ DEO obtulerunt, è qvo numero ipsa mater Domini & Johannes & alii, miraculosâ Christi morte conversi, fuerunt, eundem verè proprieqvè sacrificarunt? Nec enim tum alii, sed ipsemet sese DEO obtulit in sacrificium, dicente Paulo. (Gg.) Aliud nempe est, offerre animi sui proposito & fiduciâ, qvalis oblatio absentis æqvè ac præsentis & hujus æqvè ac illius esse potest, aliud offerri sacrificiali actu. De hac oblatione nos inter & Pontificios unicè qvæstio est, nec ab illâ ad hanc concludi ullâ ratione potest, nisi confundere sacrificium verum cum figurato & ex qvolibet fideli sacerdotem propriè dictum facere velimus.

XXIX. Qvamobrem, cum hæc omnia ita sese omninò habeant, non possunt evanescere ea, qvæ Missatico sacrificio à Protestantibus objiciuntur, qvousqve Tridentino illi canoni: Missam esse sacrificium veri nominis, proprièq; dictum, valor suus constat & auctoritas. Qvod si velint Rom. Ecclesiæ defensores, ut credamus, per Missaticum

(Gg.) Eph. V. 2.

Sacrificium nihil detrahi perfectioni sacrificii crucis Christi, missam faciant absurdam de repetitione sacrificii propriè dicti sententiam, cum concipi neqveat, qvo pacto sacrificium crucis Christi omne beneficiorum genus promeritum nobis perfectè fuerit & acqvisiverit, & tamen eadem ipsa beneficia per sacrificia alia, freqventer repetita, qvod ipsum *Sacrificii propitiatorii* nomen apud omnes, hanc vocem exaudientes, naturaliter insinuat, denuò nobis acqviri debeant & impetrari. Nec enim per rerum naturam aliter fieri potest, ut beneficia ab alio acqvisita aliter qvam gratâ manu accipiendo, memoremqve adversus ea animum testando, iis, qvibus comparata sunt, applicentur. Si verò Romani nihilominus omni isto sacrificii sui apparatu nihil aliud nisi applicationis intercessionisqve ritum intellectum velint, (qvâ tamen de re & utrum hæc assertio veritate nitatur, suo loco uberior disqvisitio instituetur) tum primò mentem teneant & corrigant lingvam, monente alicubi in simili argumento Augustino; qvomodo enim aliter intelligi qveant qvam loqvuntur? Deinde verò imotis argumentis probent, per sacrificium propriè dictum, aut etiam tantum in imagine tale, sacrificium suum in cruce peractum à fidelibus Christum voluisse applicari. Id priusqvam fiat, hac reverentiâ verba Christi, Evchariſtiam instituentis, nos prosequemur, ut sine omni torturâ aut qvæsito artificio, prout suâ simplicitate in oculos animumqve illabuntur, eadem intellecturi simus.

XXX. Qvamqvam plures Bossuetum antecesserint, qvi eodem, qvo ille, modo lenire τὸ ἄθυτον sententiæ Pontificiæ, (Missam sine cruentâ mactatione esse proprii nominis sacrificium) conati fuerint, nobis tamen nunc sufficerit, unum produxisse *Petrum de Marcâ*, non eâdem tantum cum Bossueto patriâ, sed & Episcopali dignitate præfulgentem, Archiepiscopum qvippe Parisiensem, qvi nec minori eruditionis famâ apud suos pariter exterosqve, &

dum

dum vixit, celebratus est & celebratur etiamnum. Is igitur in Dissertatione de Sacrificio Missæ, Posthumis ipsius insertâ, dum eandem sententiam defendit, in easdem etiam cum Bossueto, imò majores conjicitur angustias & difficultates. *Sacrificium istud*, inqvit, *in eo positum est, ut immolationem Christi, in cruce peractam, nobis in mysterio exhibeat, eandemq; victimam Sacramentis præsentem sic sistat, ut per species sensibiles imponatur altari corpus discretum à sangvine. Id fit per specierum consecrationem, qvæ qvatenus Christi corpus & sangvinem, sub formis illis latentia, repræsentant, sacramenta dicuntur; qvatenus verò interfecti corporis & effusi sangvinis sunt signa, inter se diversa, inserviunt ad mysticam veri corporis & sangvinis immolationem* Non audet dicere: ad veram proprieq; dictam corporis & sangvinis Christi immolationem, sed: ad immolationem corporis veri & qvidem mysticam, veræ & reali oppositam. Qvod cum ex eo probasset, qvod à Christo dicatur: *hoc facite in meam commemorationem*, (qvo putat præcipi, ut hæc ceremonia hunc in finem conficiatur, *ut mors Domini in mysterio exhibeatur, renovatâ cruenti sacrificii memoriâ per ejusdem hostiæ præsentis, sed incruento modo, in mysterio designatam & repræsentatam mactationem*; cum tamen non indicium ullum hujus repræsentationis præcesserit, ex qvo vel per longam conseqventiarum ambagem colligere Apostoli poterant, talem sibi mysticam repræsentationem instituendam esse) exceptionem elidere conatur, ab eo deductam, qvod si in mysterio tantum repræsentatio & memoratio peragatur, impropriè tantum futurum sit sacrificium. Respondet enim, ita dici Missam *sacrificium per commemorationem, ut memoria mortis obitæ facta eandem victimam habeat præsentem incruento modo.* Qvam tamen victimæ præsentiam nondum veram proprieqvè dictam immolationem inferre paulò post distertis verbis profitetur: *Sacerdotum ministerio*, inqvit, *ipse Christus seipsum præsentem*

Sacra-

Sacramento sistit, ut suæ mortis jam peractæ memoriam renovet & incruento modo eandem hostiam absq; sacrificii illius cruenti verâ & naturali repetitione, sed tantum mysticâ altaribus imponit. Nec minus alio loco præsens pro futuro usurpasse Christum ait, *ut sciremus, idem nunc geri in mysterio, ad fructum rei adipiscendum, quod mox faciendum esset in rei veritate, ad peccatorum remissionem promerendam.* Ecce hic Præsul dicit, sacrificium Missaticum esse non aliud, sed illud ipsum sacrificium, qvod in cruce oblatum est, repetitum tamen non verè & naturaliter, sed mysticè. Qvid clarius est, qvam Christum in Missâ non verè & sacrificialiter offerri, qvantumlibet in Missâ sit præsens? Qvid clarius est, qvam in figurâ tantum separati à corpore sangvinis atqve adeò figuratè offerri. Neqve enim figurata oblatio non est, qvia victima verè præsens est, cum vel veram vel figuratam oblationem efficiat non ipsa victima in se, sed actus, circa eandem occupati, iiqve verè & naturaliter sacrificiales. Qvemadmodum non ideò vera historia & res gesta efficitur, qvando is ipse, qvi eandem gessit, illam in Theatro repræsentat. Qvæ similitudo est non infimi è Romanâ Ecclesiâ doctoris, *Fr. Costeri.* Ita enim ille: *qvi Missam celebrat, repræsentando offert & offerendo repræsentat, ad modum tragœdiæ alicujus, in qvâ repræsentatur aliqvod regis factum & ille rex, cujus factum repræsentatur, in tragœdiâ illâ vere introducitur.* Manet igitur, qvocunq; se vertant Rom. fidei defensores, sua tamen subinde destruere principia & per id veritati testimonium perhibere.

FINIS.

COROLLARIA,
Ex articulo de CHRISTO.

1. *Qvi reverentiam nomini JEsu, qvalis DEO debetur, exhibet, religiosi cultus, creaturæ delati, impiè insimulatur.*
2. *Communicata sunt carni Christi per collationem imaginis Divinæ dona finita, per unionem personalem infinita.*
3. *Non habet ullam absurditatem, sed personales potius locutiones dilucidè explicat illa loqvendi ratio: Christus secundum humanam naturam est DEus, vel Filius DEI.*
4. *Est autem secundum illam Filius DEI naturalis. Nec adoptivus sine fidei periculo dici potest.*
5. *Christus pro se legem non implevit, sed pro aliis.*
6. *Non fuit Christus novus legislator.*
7. *Nihil sangvinis Christi unqvam computruit.*
8. *Nihil reliqviarum sangvinis Christi in Ecclesiâ hodie superest.*
9. *Non ita in cœlis est Christus juxta humanam naturam, qvin simul sit juxta eandem etiam in terris, qvia nec DEus ita est in cœlis, ut cœlo concludatur.*
10. *Præcipua hominis fidelis virtus humilitas est & imitatio Christi.*

Ad

Nob. & Cl. DN. FABRICIUM,

προσφώνησις.

EX qvo tempore ad hanc Academiam nostram à PARENTE Tuo missus es, Amicissime FABRICI, id perpetuò & sedulò egisti, ut ad eum scopum omni vi nisuq; contenderes, qvem præfixum Tibi à DEO & Genitore, Tui amantissimo, esse non ignorabas. Lectiones publicas, privatasq;, qvibus animus Tuus ad variam eruditionem, sanctam inprimis intemeratamq; Theologiam, formari poterat & excoli, pertinaci qvodam ardore freqventasti. Ea qvoq; exercitia, qvibus disputando vel veritas

ritas eruitur, vel antea agnita firmatur, roboraturqve, ita pensi habuisti, ut cum commilitonibus Tuis, non tam apprehensâ, qvam ultrò qvæsitâ occasione, non rarò descenderis in Colloqvium. De qvo insito pectori Tuo ardore & præsens, qvam bono cum DEO defensurus es, Disputatio testatur. Ubiqve verò eam dedisti operam, ut mentem Tuam ab opinionibus, qvarum præsens ætas nostra, verè Fanatica & novaturiens, suo qvodam genio, sed Ecclesiæ nostræ tantum non exitioso, feraciſſima est, insolentioribus & sanctæ fidei castitatem puritatemqve contaminantibus, præservares, ne illæ, in ipsa Theologiæ penetralia & Ecclesiastici olim ministerii œconomiam admissæ, vel periculo animas, vel turbis cœtum, Tuæ olim fidei creditum, exponant. Qvâ in re exemplum studiosè seqveris PARENTIS Tui, Theologi, ob pertinacem invincibilemqve complectendæ profitendæqve veritatis amorem bonorum omnium ore celebratissimi, cujus in Ecclesiam suam merita, ob administratum procul blanditiis metuqve summo candore officium, non ignorat AUGUSTISSIMUS Sveciæ MONARCHA. Hunc igitur vitæ Tuæ auctorem si exprimere aliqvando ingenio, prudentiâ, facundiâ & indefesso labore fueris conniſus, laudem apud veros rerum æstimatores habebis nunqvam intermorituram. DEUS verò, qvi studiis hactenus Tuis largâ gratiâ suâ benedixit, eadem porrò provehat Spiritus sui S. auxilio, ut & nomini suo sint glorioſa & Ecclesiæ fructum ferant longè uberrimum. Vale. Scr. in musæo, ægrâ manu, d. XIIX. Nov. MDCXCIIX.

JO. FECHT. D.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn886135591/phys_0046

ricum, non à face
ſed præcipuè à communican-
tibus DEO oblatu
eſſentiam ipſius Sacramenti,
ſed ad ſalutarem
pertinens, meritò appelletur,
atq; inde etiam to
mentum ſacrificii nomine an-
tiqvæ Eccleſiæ ve
nempe modo, qvo tota eſſen-
tia ſacroſancti Ba
viâ conſecratione hominem a-
dultum tingendo
SS. Trinitatis abſolvatur, ut
tamen eo ipſo in
baptizatus, ſi vero Baptismi
fructu particeps
ſe totum, h. e. animam & cor-
pus & omnes affe
EO per fidem ſacrificare & of-
ferre debeat. Ha
tia Lutherana, ſimplici verbo-
rum inſtitutionis
a, ex qvâ eandem qvilibet, ipſâ
lectione & primo
rit, nec aliam qvamcunqve,
niſi præoccupata
eadem haurire poteſt. Ro-
manæ Eccleſiæ
ontra hæc eſt: Evchariſtiam,
à Chriſto inſtitut
actu conſtare, ſacrificio & ſa-
cramento. Prin
nſecraſſe Chriſtum ſeparatim
panem, ex qvo
n per ſubſtantialem transmu-
tationem, & ſepa
n, ex qvo ſangvis ipſius fieret.
Fuiſſe autem Chi
nem, ut ſeparatâ hac corpo-
ris & ſangvinis ſu
ſitione mors Chriſti, qvæ ni-
hil aliud ſit, qvar
ſangvinis à corpore humano,
tanqvam in imag
& myſterio, repræſentaretur.
Ubi enim ſeparat
e ſangvis, ibi moritur animal.
Atqve ita Chriſtu
mortis imagine in altari appa-
rentem, ex eade
ſtituentis intentione, DEO Pa-
tri, tanqvam ver
qve dictum ſacrificium, idqve
propitiatorium p
vivorum & mortuorum, offe-
rendum eſſe, no
adſtante, ſed à ſolo ſacerdote,
qvi ab hoc ſacro
cio proprié dicatur ſacerdos.
Tum vero demu
hoc ſacrificio, de hoc ſacrifi-
cio, DEO oblato
rum corporis & ſangvinis Do-
minici inter ſacra
iæ hoſpites diſtribuendum, ab
iisqve ſummâ cu
ne accipiendum eſſe. Atqve

hæc

Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No. 038
Patch Reference numbers on UTT
C1 B1 A1 C2 B2 A2 B5 A5 20 18 17 16 11
10 09 03 02 01 C7 B7 A7 C8 B8 A8 C9 B9
UB Rostock 05/1500
the scale towards document

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn886135591/phys_0048